

- (6) De fiducia in Deum præcept. I.  
 (7) Non nutandum ex affectuum precipitantia, vanorum amore, &c.

## USUS E VERSU II.

(1) Infiniti sunt Sipientia divina modi, in apricum proferendi arcana cordium renunquæ consilia: explorat, probat, liquat, ut aliis quoque bonitas nostra liquido innotescat, vid. Psal. CXXXIX, 23.

(2) Pro hac exploratione orandum tum nostri, tum aliorum causa, ne vel ipsi nimium confidamus propriae virtuti, vel alii in suspitione confirmetur falsâ.

## USUS E VERSU III.

(1) Gratia divina, exhibitâ tum in creatione, tum sustentatione ac gubernatione, tum redemptione ac sanctificatione, jugiter sit in conspectu nostro, ad fovendam fidem, gratitudinem, obsequium. &c.

(2) In veritate Dei revelata procedendum tam quoad credenda, quam quoad faciendâ & fugienda: Joh. XVII, 16. Exulem ergo traditiones hominum, Matth. XV, 3. ἰθελὸς θεσηκῆσαι, Col. II, 23. itemque hypocrítica simulationes, &c.

## USUS E VERSU IV. V.

(1) In conversatione familiari procedendum cautè: vid. Prov. XIII, 20. XII, 24. Sir. IX, 23. XIII, 1. seqq. 1. Cor. XV, 33. XVI, 13. 2. Joh. vers. 10.

(2) Vanitatis studiosi fusè describuntur ab Ecclesiaste.

(3) Infidiosi subdoli que homines declinandi cum cura, imò profani quilibet in genere.

(4) Interea Novati non accedendum erroribus, ac si in ecclesia, ubi immixti impii ac hypocritæ, per stare non liceat.

## USUS E VERSU VI.

(1) Innocentiæ studium cuius renato summè necessarium: Psal. XV, 2. XXIV, 4. &c.

(2) Altaria Dei seu locus congressuum sacrorum devotè frequentandus: Ebr. X, 25. Psal. CXXII, 3. unde nec David ut in se pius, carere istis voluit exercitiis commerciiq; sacris.

## USUS E VERSU VII.

(1) De divinis laudibus, hymnis &c. vid. II. præcept.

(2) Mirabilia Dei commemorare tenentur non solum

A persona ecclesiastica, verum etiam reges atque aulici, ut & b. l. David, &c. qua ipsa mirabilia sunt vel vetera, vel recentia: communia, vel singularum personarum &c.

## USUS E VERSU VIII.

(1) Templâ nobis esse debent cura cordique, non prout pretiosè sunt constructa vel exornata, sed prout presentiam suam illic promissu Dominus. Conf. Coh. IV, 17. Exod. III, 5. XX, 24.

(2) Habitacula gloriæ divinæ, vel habitationes Dei gloriosæ, sunt etiam pii ipsi; qui proin religiosè se ipsos custodire tenentur: 1. Cor. III, 16. VI, 19. 2. Cor. VI, 16. Joh. XIV, 23.

## USUS E VERSU IX.

(1) Dolore haut caret, communibus impiorum immisceri plagis, tum ob Satana tentationes, tum munitionum judicia, tum propriam pusillanimitatem. L. de plagis communibus v. g. belli, pestis, &c.

(2) Mors piorum in se est collectio ad Patres. vid. Mortem.

(3) Sanguinolentia immane coram Deo debonestamentum: vid. v. præcept.

## USUS E VERSU X.

(1) De manuum puritate v. 6.

(2) Munera corrumpentia abominanda ex animo, in statu tam politico quam ecclesiastico. Etiam minutis inducuntur multi ad grandia. vid. V. VII. & VIII. præcept.

## USUS E VERSU XI.

(1) Integritatis studium subinde redintegrandum. vid. v. I.

(2) Liberatio petenda à Deo, ut ut media non deesse videantur humana.

(3) Commiseratio divina fundamentum felicitatis nostræ.

## USUS E VERSU XII.

(1) Planæ virtutum semitæ inhaerendum constantissimè. Nil valeant irritamenta voluptatum, &c.

(2) Celebrandus Deus non privatim solum domi, Matth. VI, 6. sed & in publicis congressibus, vid. v. 6. 7. Alias ex Psalmô hoc notas tum piorum, tum pravorum aulicorum, non malè collegit b. l. Piscator in observat.

## PSALMI XXVII. DISPOSITIO.

Fiducia verbi. Unum necessarium. Lux templum, Verbum.

**D**eprehendimus in hoc hymnô egre-  
giô Davidis

I. *Fiduciam*: cuius (1) objectum est Deus, tanquam (a) lux (b) Salus, (c) robur vitæ vers. 1. (2) effectum: non timeo ab ullo, ibid. speciatim, nec à malignorum cœtu magnô, proximô, crudelissimô, qui carnem meam devorare anhelant, circumvallant undique, imò impingent, corruent, vers. 2. 3.

II. *Desiderium*, (1) quoad cultus divini constantem concessionem, vers. 4. ratio: occultor in ipsius tentorio die infausto: vers. 5. exaltor in rupe inaccessâ; ibid. ab hostibus ereptus illic solenniter laudes divinas decanto, vers. 6. (2) quoad periculorum averfio-

nem: ubi (a) petitio auditionis, commiserationis. exauditionis, vers. 7. (b) petitionis fundamentum: tu ipse mandasti invocationem: vers. 8. (c) petitionis per membra deductio: ne occultes faciem, vers. 9. ne servum me tuum in irâ deseras, ibid. (ratio additur, auxilium meum Deusque salutis meæ fuisti semper: vers. 9. à parentibus desertus sum, vers. 10. collectus tamen à Domino: ibid. (doce me, deduc me per viam planam, vers. 11. ne permittas me hostium libidini, mendaciis: &c. vers. 12.

III. *Spem*: de fruitione bonorum Domini in terrâ viv. vers. 13. ad quam ipsam spem & se & alios cohortatur strenuè, vers. 14.

PSAL-